

Woog

St. Andreas
Martyr

1749

Biogr. er. D

1540,46

DE
S. ANDREA MARTYRE
IN NUMIS
AD
DOMINUM
M. CAROLUM CHRISTIANUM
WOOG,

*SACRARVM ANTIQVITATVM IN INCLVTA ACADEMIA LIPSIENSI
PROFESSOREM EXTRAORDINARIVM, ET CONCILII
ACADEMICI ASSESSOREM,*

FILIVM SVVM VNICVM ET DILECTVM,

EPISTOLA

M. MAVRITII CAROLI CHRISTIANI WOOG,
V. D. M.



Biogr. erud.

D. 1540/46

DRESDAE, STANNO IO. GVIL. HARPETERI.

2. ABTHEILUNG

IN NACHRICHTEN

VON

DR. MED. CAROLUS WILHELMUS

MICHAELIS

WILHELMUS

DEI UNIVERSITATIS SAEPISSIMO

PROFESSORIS

PHYSICAE

ET

PHYSICAE

M. D. V.



IN BIBLIOTHECA



DILECTISSIME FILI.

Jam pridem apud me decreueram, publice **TE** literis monere, vt, quae de **S. ANDREAE** Apostoli Martyrio diligentissime perscripsisti, sine mora vltiore tandem diulgares; languida vero senectute et valetudine incommoda ad subcesiuas operas segnior factus, parum aberat, quin abjecissem calamum, praesertim quum post beatam, at nobis nunquam satis deplorandam incomparabilis **LOESCHERI** mei mortem, ingens negotiorum moles in me deuoluta sit, siquidem Vicarii in Ephoria Dresdensi mihi clementissime demandatae partes multis denuo officiis implicatum et constrictum tenent. At vero eluctatus per pluscula impedimenta prolixissimus, quo **TE** complector, amor pertraxit me ad aures tuas vellendas, et excitandum studium in perpoliendo et propediem producendo tuo Martyre, *cujus memoriam in numis* quoque conseruata fuit ad posteros, in sumendum.

§. I.

Sanctorum imagines atque nomina in numis videri nemini ignotum est, nisi rei numismaticae prorsus ignaro. Satis amplum eorum Catalogum dederunt viri in re numaria egregie docti, Jo. Christoph. OLEARIUS in prodromo Hagiologiae numismaticae sanctorum, Arnst. A. 1709 in 12. edito. Quem paucissimarum plagularum libellum, ne plane periret, quod commune hujusmodi schedularum fatum est, in eruditissimis suis Deliciis Numariis repetiit Illustr. DN. KOEHLERUS, P. IX. p. 435. De Numis, Sanctorum imagines exhibentibus Io. Mich. WEINRICHIIUS quoque epistolam exaravit, Erfordi 1709. impressam. Et doctus sedulusque Autor des neueröffneten Groschen-Cabinets, Parti III. adjunxit brevem Syllabum Sanctorum in Numis.

§. II.

Gentiles, simulacrorum cultores, verumque Deum ignorantes, Deastrorum suorum, quos urbibus tanquam praesidiarios praefecerant, vultus certis signis dignoscendos, in numis olim exhibere solebant. Inde factum, ut hostes, si quam obsiderent urbem, ante omnia Deos tutelares certo carmine euocarent, alia ratione urbem capi non posse, persuasi, aut, si posset, nefas tamen ducentes, deos habere captivos. Carminis hujusmodi mentionem facit MACROBIUS Lib. III. Saturn. C. IX. Obsessi contra Deos suos aureis catenis, ne ab illis recederent, constringebant. Christiani sequentium temporum hanc idololatriam abominabantur quidem, ast incidebant in alium errorem, dum in gentilium Deorum locum Sanctos substituebant, quorum patrocinio credula gens confidebat, nec satisfactum credebant, si precibus, carminibus et sacrificiis illis litarent,
numis

numis quoque suis eorum nomina et imagines insculpebant, vt devotionis memoria esset testator.

§. III.

Liber mihi scribendus esset, non Epistola, si omnes Sanctos recensere vellem, quibus gentes superstiosae hunc honorem detulerunt. Non nisi paucos attingam, et quum non modo difficile dictu, sed et inuisum foret, quo primum tempore Sanctorum coeperint imagines numis insculpi, hanc prouinciam aliis consulto relinquam.

§. IV.

MARIAM, sanctam et immaculatam Domini nostri matrem *Hungaria* sibi elegit Patronam, Ipsique hodiernum hunc statuit honorem, vt in plerisque numis imago ejus extet. Ex innumeris fere nonnisi unius uncialis mentionem faciam, qui in paucorum manibus est, sc. VLADISLAI II. Regis Hungariae, cuius antica exhibet equitem armatum et corona cinctum, equo insidentem et lanceam vibrantem, vt videatur, eâ S. Mariae effigiem in extrema numi parte comparentem, petiturus, addita inscriptione: SANCTUS LADISLAUS REX UNGARIE. 1506. Postica exhibet arma Regni coronata, cum mendosa Inscriptione: MONTA WLADISLAI D. G. REX UNGARI. *Bauaria* quoque Mariam tanquam Patronam suam in numis olim exhibuit, et Maximilianus numos cudi fecit, unum argenteum A. 1625 et 1638. cum Mariae effigie et Epigraphe: *Clypeus omnibus in TE sperantibus*; alterum aureum, in quo Maximilianus ad castissimae virginis pedes prouolutus supplici manu orat. *Pro me ô Maria ora.* 1645.

§. V.

S. JOHANNI BAPTISTAE eundem honorem exhibuit JOHANNES V. Episcopus Vratislaviensis, cujus numus A. 1508 cum Johannis Baptistae imagine, et addito voto: SANCTE IOANNES BAPTISTA SUCURRE, adeo rarus est, vt teste Celeberrimo KOEHLERO in praefat. ad P. XII. p. II. Deliciarum numismaticarum fere nullibi reperiatur. Produxit vero illum aeri incisum DEVERDECK in Silesia Numism. p. 841.

§. VI.

S. MARCI Euangelistae tutela perfrui Venetis dulce est; Ideoque reliquiis Ejus variis et scriptis religiose conseruatis superbiunt, splendidissimum templum ejus nomini dicarunt, numosque aureos, Zechinos ab ipsis dictos, nec non argenteos in ejus honorem complures cudunt, qui quum satis obuii sint, non nisi vnus aurei mentionem faciam. In illo M. Ant. JUSTINIANUS dux Reip. in Historia Venetorum valde memorabilis, toga indutus ante S. Marcum in genua procumbens, suaque manu perticam cruce signatam deuoteprehendens delineatur, addito nomine: M. ANT. JUSTIN.

et desuper in vertice ducis, $\frac{D}{V}$ $\frac{X}{X}$ â tergo S. Marci leguntur hae literae:

S. M. VENET. In auersa parte Seruatoris imago cernitur sedecim stellis circumdata, cum verbis: SIT. T. XPE. DAT. Q. TU. REGIS. ISTE. DUCA. i. e. Sit Tibi Christe datus quem Tu regis iste ducatus.

§. VII.

S. PETRUM intra duas sedentem turres HENRICUS, Landgravius Hassiae, numo A. 1482. cuso imprimi iussit, de quo in nuper â me edito Schediasmate de causis raritatis aliquot numerorum

§. IX.

§. IX. p. 10. egi. Eundem inuenimus in Unciali JOHANNIS Administratoris Ratisbonensis A. 1523. cuso, cum addito voto: *S. Petre nauem tuere Christi*, ipsum numum autem delineatum in libro Numismatico rariore, quem Berend. Arens Hamburgi 1636. in 4ta edidit, p. 115.

§. VIII.

S. STEPHANUM Protomartyrem Metensis ciuitas in numis suis reuerenter habuit semper. S. NICOLAVM Resp. Friburgi Heluetiorum in numis ibidem cufis nobis dedit, cum inscriptione: *Sanctus Nicolaus, esto nobis Domine Turris fortitudinis à facie inimicorum*, quos ob insignem raritatem et formae elegantiam commendat GUDENIUS in Vncialaeo selecto Wezlar. no. 688. p. 143. S. JOACHIMUM illustres Comites SLICKII numis suis impressisse vestitu sacerdotali velatum, barba prolixa, capiti imposita infula, manu mox dextra mox sinistra baculum tenentem, res est notissima. RAGUSA maritima urbs, incerti saepe praesidii et variae fortunae S. BLASIUM in numis colit. SOLODURUM, vrbs Helvetiae S. VRSUM in numis veneratur, de quo SURIUS in Vit. SS. Mens. Sept. p. m. 350. multa refert miracula, in specie quod S. URSUS et ejus focii gladio caesi, et in flumen projecti mox egressi sint, et capita in suis manibus portantes ad locum prope Solodurum, vbi postmodum in eorum honorem Basilicam exstruxerunt, per venerint.

§. VIII.

Ejusmodi sanctos capita sua caesa manibus ferentes quam plurimos creduli olim colebant Pontificii. Numum aureum, in quo S. ALBANVS caput abscissum in manibus gerit, cupro caelatum exhibet et describit Excellent. DN. KOEHLERUS in del. num. A. 1736. p. 297.

p. 297. Vitam vero S. Albani consignavit Papebrochius in AA. SS. ad diem XXII. Jun. p. 146. sequu. Ad manus quoque est extremae raritatis Vncialis ciuitatis TIGURINAE, in qua tres Sancti, sc. S. FELIX, S. REGULA et S. EXUPERANTIUS capita abscissa manibus tenentes delineati sunt, cum verbis: MON. NOV. THURICENSIS Ciuitatis Imperialis 1512. de quo multa lectu digna consignarunt LOCHNERUS in Collectione numerum Anni I. p. 145. Autor der Hamb. Hist. Remarqu. A. 1706. p. 81. TENZELIUS in monathl. Unterred. 1696. p. 593. Stultior sit barbaro Potitio qui eiusmodi fabulas aniles credit. Perplacent mihi, quae LANGLET du FRESNOY * de ortu hujus fabellae suspicatur. Scilicet Pictores atque statuarios superstitionis dedisse ansam, eiusmodi miracula fingendi. Expressere sanctum capite plexum aliter non potuerunt, quam sine capite. Quid autem cum capite faciendum ipsis erat? Terrae illud imponere reuerentia erga viros sanctos prohibebat, hinc fatius ducebant, illud in manus martyrum reponere. Ex quo postmodum superstitione capti sibi imaginabantur, sibi que facile persuaderi patiebantur, defunctos martyres decussa capita circumgestasse. En ignorantiam et superstitionem fabularum genetricem!

§. X.

Urbis BERNÆ numi rarissimi, in quo S. VINCENTIUS exprimitur, mentionem in nupero et jam allegato meo schediasmate §. XIV. p. 14. mentionem feci. S. MARTINUM pallium suum cum mendico ipsi obuiam facto partientem in permultis numis expressum inuenimus. S. LAVRENTIUM cum craticula Wismarienses olim in numis suis praesentabant. Abbates Werdinenſes, THEODO-

* Methode pour etudier l' Histoire T. II. p. 420. Edit. splendidiss. quae Parisiis 1729. forma 4ta majori prodit.

DORUS et BENEDICTUS, S. LUDGERI effigie unciales suos exornarunt, quorum posterior A. 1730. S. Ludgerum in habitu Episcopali cum duobus anseribus ad ejus pedes stantibus, prior eundem eleuata ad benedicendum dextra exhibent, cum voto detestabilem Scripturae S. abusum spirante: *Sancte Ludgere respice de coelo, et visita vineam istam, et perfice eam, quam plantauit dextra tua.* Vid. KOELERUS l. c. P. XIII. p. 201. S. AUCTOR in antiquissimis BRUNSVIGAE numis tanquam Patronus hujus ciuitatis sistitur. Ejusmodi uncialem A. 14. 98 cunam delineauit, vitamque huius non adeo noti sancti, ejusque miracula recensuit, DN. KOELERUS l. c. P. X. p. 9. Sed in Actis SS. de obscuro hoc sancto nil inuenire potui.

§. XI.

Ridiculum est, quod GEORGIUS draconem hasta interficiens pro Sancto habitus, et tanquam Patronus Dominorum Comitum de MANSFELD in plerisque eorum numis expressus fuerit. Numi hi Georgiani ubiuis obuii sunt, si unum excipias, qui in publicis auctionibus immenso pretio venit. Ille Georgium Equitem bene armatum, equo infidentem, stricto gladio ictum draconi ad ejus pedes prostrato minitantem, exprimit. In operimento jumentorio leguntur verba: ORA PRO N. Epigraphe est: S. Georgius Patr. Dom. de Man. Altera numi facies sistit arma, et A. 1521. cum inscriptione: *Mone. Argen. Com. Do. de. Mans.* De famosissimo Vnciali Comitum Mansf. Daudis cum verbis: BEI GOTT IST RATH VND THAT nil proferam, quum lippis et tonsoribus notus sit. Malo pauca addere de rariore numo emortuali BRUNONIS, in quo idem S. Georgius exprimitur, cujus super galeâ placide volare aquila videtur, adjecto nomine tituloque: BRUNO. SENIOR. COMES ET DN. IN MANSF. NOB. DO. IN. HEL. In auersa facie verba
B
legun-

leguntur: NATUS Ao. 1545. die XVII. Nouem. Obiit Ao. 1615. die IV. Ap. VIXIT Ao. LXIX. Mens. IV. di. XVI. In Peripheria haec sententia: ANFANG BEDENCK DAS ENDE. Sed quis Georgium Cappadocem, hominem Arianum sanctum fuisse existimet? Graues enim viri, et rerum haud imperiti, inprimis *Isaac. PONTANUS in Hist. rerum et urbis Amstelodamensium L. II. c. IV. p. m. 79.* asserunt, non alium fuisse Georgium Equitem, quam Georgium Cappadocem, qui Athanasio, injuste suo Episcopatu deturbato, in munere successit, et Athanasium draconem ab Arrianis improbe ita compellatum, quem sanioris doctrinae defensorem fraude, consiliis, diceriis oppugnauit, sed expugnauit nunquam. Acta hujus GEORGII magno labore congesserunt Henschenius et Papebrochius in Act. SS. d. XXIII, April. p. 100. et in App. hujus Tomi p. XV.

§. XII.

Hoc institutum Sanctorum imagines in numis colendi tractu temporis pene exoleuit. Ad saniores doctrinam qui redierunt, vel Sanctos plerosque a numis eliminarunt, vel sine superstitione eorum imagines in iis repetierunt. Prouoco ad ciuitatem Ratisbonensem, et Vlticum Wirtenbergensium Ducem. Illa priusquam ipsi Euangelii lux affulgeret, numulos suos S. WOLFGANGI imagine insigniuit, cujus posthaec nullum vestigium apparet; Hic Vnciali suo A. 1507. cuso, et albo coruo rariori inscribi iussit verba: *Da gloriam Deo, et ejus Genetrici Mariae,* quam inscriptionem amplexus religionem Euangelicam in numo A. 1537. publicato ita emendauit: *Da gloriam Deo omnipotenti.* Si adulteratores monetarum, nebulones nefarii, sanctos timere, et numos iis signatos reformidare vellent, omnes principes exorarem instantissime, vt immunes ab idololatria et superstitione, sanctorum imaginibus omne argentum signari juberent. Si-

Siquidem multae myriades Sanctorum in vase fusorio nouo quasi martyrio liquefactae sunt.

§. XIII.

Sed de tuo Andrea Martyre, Apostolo Christi, quaedam mihi dicenda restant, *charissime Fili*. Hujus imagine nobiles Comites de Hohnstein omnes suos numos ornare solebant, inter quos rarissimus est, quem A. 1540. Ernestus cudi curauit, et erudite explicauit DN. KOEHLERUS l. c. P. XV. p. 353. Quamplurimos hujus generis thaleros depinxerunt *Arend* in libro numario p. 179. 180. 181. *Wolderus* in *Nieder-Sächß. Valuations Druck* p. 46. 47. et celeberrimus DN. *Lesserus*, qui de numis Comitum de Hohnstein nuperrime eruditum edidit *Schediasma*, in quo Catalogum horum numorum, ast mancum, exhibuit. HENRICUS JULIUS dux Brunouicensis et Luneburgensis vltimi Comitum de Hohnstein Ernesti haeres, A. 1605. S. ANDREAM in decussata cruce facie formidabili Vnciali imprimi curabat. Idem faciebat PHILIPPUS dux Brunswicensis, addito lemmate: GOTT. GIBT. GOTT. NIMT. de quo numo *Schlegel Bibl. Num. Supplem. I. p. 51.* miranda quaedam refert. Nimirum quum vrbs Misniae, in finibus Bohemiae sita, Königsteinium superiore seculo incendio conflagrasset, fortunae tenuissimae et hoc incendio ad incitas redactam foeminam, die sequenti aquam ex rupibus proficientem vase excepturam, obseruasse, aliquid sonorum cum aqua in illud delabi, et inquirendo deprehendisse in suo vase hujusmodi thalerum cum dicta Inscriptione: GOTT GIBT GOTT NIMT, quem ipsa pro singularis prouidentiae diuinae pignore laetabunda habuerit. Crucem Andreanam in numis perquam plurimis Hispanorum et in omnibus fere Burgundicis apparere non est vt TE moneam, cum hoc doceat quotidianus conspectus.

§. XIV.

FRIDERICUS dux Holsatiae quoque S. Andream tuum non dedignatus fuit. Hujus enim extat numus, cujus facies prior insignia Holsatiae quatupartita cum galea, hacque Inscriptione: MO. ARG. FREDERI. DV. HOLTS. posterior effigiem S. Andreae cum armis Oldenburgicis, hisque verbis: *dilexit dns. Andream 1514.* repraesentat. Rarum hunc esse numum, omnes sciunt, qui vel leui rei numariae cognitione gaudent. vid. *Hist. Remarqu. A. 1704. p. 361.*

§. XV.

Graecos S. Andream venerari Menaea eorum ἡμέρας λ' Νοέμβριος σλ' nec non Menologium P. I. p. 221. nos docent. In hoc obseruavi S. Andream non decussatae, sed commissae cruci affixum delineari. Quem Hesychius, Presbyter Hierosolym. τὸν πρὸ πέρις πέριον nominat, in Menaeis p. σλε. πρωτόκλητος discipulorum Christi audit. Quo sensu ita dici possit disquirat Wilh. Caue in Antiquit. Apostol. p. 480. Extat quoque de S. Andrea Missa ap. Mabillonium Lib. III. Liturgiae Gallicae No. 17. p. 220. De variis miraculis S. Andreae libellum operibus suis Lutet. 1699. in fol. editis addidit GEORGIUS Turonensis p. 1261. Numum autem Graecum S. Andreae imagine signatum, hactenus inuenire non potui. Sed de Andreae Martyris persona et fatis plura proferre non est animus, quum sciam TE magno studio collegisse, quicquid ea de re notatu dignum in scriptis eruditorum consignatum est, quod ut proferas tandem in publicum, jubeo et obtestor.

§. XVI.

S. Andream Angli pariter ac Scoti reuerenter priscais temporibus coluerunt. Afferuantur hodiernum in coenobio Glastoniensi in agro

agro Sommerfetenſi, ordinis S. Benedicti, inter alias Apoſtolorum reliquias quinque minutiora oſſa, duo dentes, et de cruce S. Andreae portiuncula, teſte *Reg. DODSWORTH* et *Guil. DUGDALE* in *Monaſtico Anglicano Vol. I. p. 5.* libro rariffimo et pretioſiſſimo, edito *Londini 1656. in IV. Vol. in fol.* cujus editionem poſtერიorem de A. 1682. caſtratam eſſe obſeruat *Langlet du FRESNOY* in *Supplemento Methodi tractandi Historiam jam ſupra allegatae P. II. p. 35.* Inprimis Scoti Andream Martyrem pro Numine habuerunt tutelari, ejuſque reliquias religioſe coluerunt, quod refert *Hector BOETHIUS* in *Scotorum Historia p. 5. Parisiis A. 1575. euulgata in fol.* de cujus Autoris Vita et libris Vid. *Jo. LESLE* *lib. IX. Hiſt. Scot. ad A. 1531. p. 413.* qui liber Tomo I. *Scriptorum de vita et rebus geſtis Mariae Scotorum Reginae à Sam. JEBB* *Londini 1725. in II. Tom. in fol.* editorum inſertus inuenitur. Miraberis forte, quo fato Andreae S. reliquiae in Scotiam venerint? Audi fabulam, quam ſubleſta fide narrat citatus *Boethius* p. 105. *Regulus*, Graecorum Monachus, qui Constantii Imperatoris edicto, diui Andreae reliquiis venerationis cauſa aſſiſtebat, quum ſacras ad Sciniolum ageret vigilias, ſuperne monitus eſt, vt accepto ſacrati brachii oſſe, tribus cum digitis, totidemque alterius pedis articulis, in vaſculum decenter repositis, Albionem inſulam in extremo orbis reſeſſu ſitam, peteret: futurum enim, vt illic aliquando populus pia veneratione in diuum Andream ductus, terrena et coeleſtia ejuſ ſuffragio aſſequeretur charismata. *Regulus* diuina, ſi credere fas eſt, juſſa exequuturus longo Mediterranei maris tractu ſuperato deuenit in Luſitaniam, qua relicta tandem in vici cujuſdam Otholiniae portum naufragus, rebus omnibus, praeterquam ſacris reliquiis tempeſtate amiſſis peruenit. Fabula longior eſt quam haec charta. Sed non fabula, ſed vera ſit hiſtoria oportet, quia typis publice exſcripta eſt.

§. XVII.

S. Andreas de Scotis quoque optime meritus creditur. Etenim Rex *Hungus* in bello contra Anglos in aciem descensurus, diuum Andream, in cuius tutela gens Scotica erat, frequentibus suspiriis lachrymisque, vt sibi suisque auxilio foret, precatus, solutus intempesta nocte in soporem, ex templo adstantem Apostolum vidit, qui iussit eum intrepido esse animo, fore enim vt gloriosam de Anglis insequente die victoriam deportaret. Lucidam addunt Pseudo Historici, in coelo apparuisse crucem Andream, certissimae victoriae signum, quae Duce S. Andrea etiam insequuta sit primâ apparentis diei luce. Scotus fit qui haec credit! Factum tamen vt in Andreae honorem magnifica templorum et scholarum aedificia fuerint extracta, ejusque reliquiae in capsula aurea diligentissime custoditae. Hinc originem traxisse creditur *ordo S. Andreae Cardui* titulo in Scotia nobilis, de quo lege *Histoire des Ordres Militaires ou de Cheualiers* T. II. p. 58. *Dissertations historiques et Critiques sur la Chevalerie* par Honoré le SAINTE - MARIE p. 189. MENNENII *delicias Equestrium ordinum* p. 141. repetitas in *Chronici Chronicorum Ecclesiastici* Io. GVALTERI (i. e. Jani GRUTERI) Lib. II. p. 46. *Mirror solertissimum* in colligendis et describendis ordinibus *Hippolite HELYOT* in vasto suo opere de *Historia ordinum monasticorum*, ordinis S. Andreae nullam fecisse mentionem.

§. XVIII.

Mirum igitur non est Regem Jacobum IV. in numo aureo anno incerto cuso, et *corona Scotica* dicto, quem prima Epistolae hujus pagina prae se fert, Patroni Scotorum memoriam renouasse. Succedebat Ille patri suo Jacobo III. â truculentis et furiosis rebellibus

bus

bus A. 1488. scelerate confosso, et fortuna aequiore digno. Prior numi facies insignia Scotorum refert, sc. leonem liliis circumdatum, cum verbis: IACOBUS DEI. GRA. REX. SCOTTORUM IIII. Posterior S. Andream toga indutum, et extensis manibus pedibusque lignae cruci decussatae alligatum, cum inscriptione: *Saluum. fac. populum. tuum. Dne.* Si de Jacobi IV. vita plura desideras, adi Georg. BUCHANANUM in *rerum Scoticarum Historia Edimburgi 1582. in fol. edita Lib. XIII. fol. 144. sequ.* Numus autem, quem recensui, iis annumerandus, qui auro et gemmis pretiosiores habentur. Delineatum eum inuenies in libello numismatico Belgico, extremae raritatis, qui 1580, in forma minori apud Guil. von PARIIS prodiit, *lit. K. pl. 5. b.*

§. XIX.

Sed dum haec scribo, eo jam processisse sermonem meum de *S. Andrea in numis* sentio, ut modum formamque Epistolae excedat. Contrahenda igitur sunt Vela. Hunc Andream, non fictum, sed vere factum sanctum Martyrem TIBI, *charissime Fili,* jam in numis proposui, non ut Patronum, sed ut fidei et reliquarum virtutum exemplar, cujus eximiam pietatem, inuictam in confessione constantiam, ardentissimum in promouenda Christi gloria et proximi salute studium, indefessam in munere ipsi demandato solertiam, admirandum in omnibus calamitatibus et acerbissimis cruciatibus patientiam, imperterritum denique in acerbissima morte animum, admireris, et pro viribus studeas imitari. Id si feceris, de quo tua me dubitare non finit pietas, etiam post mortem suauem bonae famae odorem relinques, uti ex Andreae TUI sepulchro oleum cum odore suauissimo defluere refert *Gregorius Turonensis l. c. p. 754. et p. 1263.*

Non

Non S. Andream, nec alios viros sanctos, sed sanctissimum Deum
 precibus meis fatigabo, vt TE omnibus animi et corporis bonis
 cumulare, conatibus tuis honestis et aetatem laturis benedicere,
 TIBIque suam gratiam constantissime conseruare velit, quo ob fe-
 licem tuorum studiorum successum, et res prospere et ex voto flu-
 entes de TE quoque laetus gloriari possim, quod de TUO
 Andrea in numo §. 14. adducto legimus:

DILEXIT Dns. CAROLUM.

Dabam Dresdae d. 7. Martii. A. M DCC XLIX.



instempeln!

